



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 1. Demonstraturne ex scripturis & autoritate Doctorum,
voluntatem Dei in opere salutis esse prædeterminativam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

inquit, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere quoniam omnipotens est. Posset planè cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit penes ipsum est. En Selectio significata per Ly cur noluerit penes ipsum est.

DIFFICULTAS I.

Quare si: Decretum divinum in opere salutis.

Affirmat Gonet Tomo 3. de voluntate Dei disp. 5. esse prædeterminativum. Occurrendum est illius doctrinæ fermè per ea, quæ in prima parte adlata sunt, obtemperandoq; Sanctæ Sedi, non attingetur objectum illius decreti, quod est gratia efficax, sed ipsum decretum.

Punctum Difficultatis 1.

Demonstraturne ex Scripturis & Auctoritate Doctorum, voluntatem Dei in opere salutis esse prædeterminativam.

Affirmat Gonet Tom. 3. de volunt. Dei, disp. 5. §. 2. Ista quæ hîc adferentur, supponunt dicta hîc immediatè defendendo, quòd Deus in collatione gratiæ efficacis utatur scientiâ conditionatâ. Supponunt ulterius & dicta 1. parte disp. & 4. & 5. Ad solutiones Argumentorum accedendum.

OBJICIT ille §. 2. Scriptura sæpè docet voluntatem Dei, esse efficacem & infallibilem, ut ei resisti non possit saltem in sensu composito, & potentia consequenti, id est, ut cum illa, non possit componi & conjungi actualis resistantia, sed hoc non potest verificari, si Deus, circa nostros actus liberos, non habeat decretum ex se efficax, id est, ex vi sua infallibiliter inferens, & causans liberum nostræ voluntatis consentum, sed tantum purè indifferens, & expectans determinationem liberi arbitrii, ac conjunctum cum morali tantum motione, & excitatione. Ergo. Minor videtur evidens. Omnis enim concursus indifferens, omnisq; motio moralis, quæ non efficit, sed expectat consentum & determinationem liberi arbitrii, talis est, ut ei resisti possit, etiam in sensu composito & potentia consequenti. Omne enim objectum creatum præter Deum visum, non potest voluntatem determinare.

RESPONDETUR. Concedendo Majorem. Si enim potest Deus pro causis liberis, seligere auxilium, cum quo prævidet infallibiliter securitatem operationem, & si etiam necessitare illam potest prædeterminando, & etiam de causis necessariis disponere ad libitum, indubiè infertur, voluntati Dei nec liberæ causas posse resistere, nec necessarias, unde & locum de correptione & gratiâ cap. 14. non interpretamur quidem de Prædeterminatione, interpretamur tamen de selectione auxilii, quòd prævidetur

eventum habiturum, ut verum sit, Deo volente salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium. Caterùm hæc Major, etiam per Thomistas concordari debet cum decreto Tridentini consentis, gratiæ Dei resisti posse, eamque abjici, quòd decretum procedere de gratia efficaci, alibi ostensum.

Quòd attinet ad Minorem, non explicat se objiciens, an loquatur de statu conditionato, an verò loquatur de statu absoluto, in quo vel maxime efficacia voluntatis divinæ relucet. Si loquatur de statu absoluto, cum pro illo statu admittamus absolutum decretum de dandis prærequisitis, absolutum item decretum selectivum auxilii, quòd prævisum est, eventum habiturum, immerito supponit in minori Gonet, quòd admittamus decretum tantum purè indifferens, & expectans determinationem liberi arbitrii, cum potius eam inferat. Immeritò etiam supponit, quòd nos auxilia Dei cum morali tantum motione conjuncta admittamus, cum admittamus gratias coëfficièntes, quemcumq; actum, sicut oportet. Negamus ulterius, quòd posito selectivo decreto, auxilium selectum non efficiat, sed expectet consentum nostrum. Hinc ex vi hujus Principii, neganda est minor, cum suis probationibus, cum argumenta alligant aliquid quasi doctum à nobis, quòd tamen non docetur, admittimus enim motiones morales, sed non solas.

Quòd si Minor procedat de statu conditionato. Negatur Deum antecedenter, ad determinationem conditionatam ponibilem, cum auxilio conditionatè dando, voluntatèq; divina conditionatâ, de qua supra, velle aliquid determinatè. Hinc concedo Majorem, voluntati divinæ resisti non posse si aliquid determinatè velit, si autem nolit aliquid determinatè, non potest dici, quòd rei resistatur. Sed negamus antecedenter ad determinationem conditionatam creaturæ, ponibilem cum concursu divino, velle aliquid Deum determinatè. Et quamvis nos concedamus, quòd auxilium illud antecedens, consentum conditionatum, sit hoc sensu indifferens, quia non determinat, ut hoc non nisi velit conditionatè voluntas, nihilominus docemus, quòd idem auxilium efficiat illam determinationem, nec expectat illam, quasi solis viribus arbitrii ponendam, cum revera in eam coëfficiendo influat.

Auctoritas S. Thom. quam inibi citat Gonet, ex prima parte q. 105. art. 4. hoc solum vult, quòd à nulla re necessitatur voluntas, nisi à Deo clarè viso, & si hoc velit præstare prædeterminationem, quòd præstat Deus visus, sicut Deus visus necessitat voluntatem, ita & prædeterminatione necessitabit.

INSTAT Gonet. Sæpè Scriptura meminit tractionis, immutationis, & apertionis cordis, quæ omnia explicari non possunt, si non ponatur

R. P.
THEML
ZIANOWS
Tom. 3. e
D. V.
S.

tur decretum prædeterminativum, nam quod ab alio determinatur, ab illo veluti trahitur, non verò illud trahit, & in nostris Principiis, non potest Deus convertere hominem, nisi ipse homo, pro sua libertate, determinando Dei concursum, traxerit Deum. Si divinum decretum non efficit in corde hominis consensum, sed illum ab humana voluntate supponat, vel expectet, quomodo Deus immutat voluntatem hominis, facitque ex nolentibus volentes, ut loquitur August. epist. 107. nec fit hæc mutatio per solam gratiam moraliter excitantem, cum illa intus in corde, nec operetur, nec determinet infallibiliter consensum. Denique apertio cordis, significat consensum liberi arbitrii. Si Deus, per suum decretum, & per gratiam ab illo derivatam, non efficit contentum, sed ut ab humana voluntate ponatur, expectet, non potest dici aperire cor hominis per suam gratiam.

RESPOND. Etiam hæc non distinguere objicentem inter statum absolutum & conditionatum. Si enim res procedat de statu absoluto, nego quòd decretum de dandis prærequiritis, & absolute selectivum auxilii, quod prævisum est eventum habiturum, sit purè indifferens, illudque selectivum auxilium per nos præcedit concursum creaturæ, & actum, vi cuius selectionis, trahit Deus, ad consensum absolutum, non verò trahitur, isteque est mirus modus, de quo Augustinus lib. contra duas epistolas Pelagianorum, quo Deus intus, in ipsis hominum cordibus operatur, nec hoc selectivum decretum supponit & expectat consensum creaturæ absolutum, sed illum facit, & per hoc selectivum auxilium, vertit Deus, & inclinat cor, quo voluerit, & ex repugnantibus facit consentientes, quod ipsum selectivum auxilium, non tantum morales excitationes involvit, sed & influxum, in genere coëfficientis, quo ipsum consensum efficit, non expectabat ab humana voluntate.

Si autem res sit de consensu conditionato, negamus quòd antecedenter ante objectum Scientiæ conditionatæ, velit Deus determinatè ad hanc partem trahere salvà libertate, si non trahit, verum adhuc erit, quòd dum trahit, infallibiliter convertat, & licet auxiliium conditionatè dandum, non nisi pro sequenti signo importet determinationem sui concursus, quia tamen, hanc ipsam determinationem, coëfficit ipsummet auxiliium conditionatè dandum, ideò adhuc illa conversio tribuenda Deo, adeoque etiam pro statu conditionato, nemo potest venire ad Deum, nisi Pater traxerit, tractione collativa auxiliium conditionatè dandi, influxuque in actum conditionatum voluntatis, licet non trahat tractione prædeterminativa.

Rursus, Negamus quòd auxiliium conditionatè dandum, supponat vel expectet consen-

sum conditionatum gratiosum, coëfficit enim illum, multò magis non supponit consensum naturalem, quia hic est error Semi-Pelagianorum à nobis rejectus. Nec pro statu conditionato, ex nolentibus, facit Deus volentes antecedenter, quia ante ipsam determinationem conditionatam, nec volitio, nec nolitio possunt supponi determinatæ, cum ante determinationem conditionatam præcedat solùm status possibilitatis, qui nihil determinati importat, sed solùm posse nolle, posse velle.

ADDO, quòd antecedenter ante consensum conditionatum, licet sit indifferens auxiliium, hoc sensu, ut repetitò dictum, quòd non determinet ut hoc non nisi velit voluntas, sed non est indifferens ad hoc, ut sive cum illo, sive sine illo, ponatur consensum conditionatus gratiosus, cum asseramus, impossibile esse, consensum gratiosum etiam conditionatum poni, & non à gratia conditionatè danda. Qui ipse consensum conditionatus licet non sublit antecedenti alicui tractioni determinatæ, subservit tamen ut pro statu absoluto, salvà libertate, possit Deus pro hac parte determinatè trahere decreto suo selectivo, & auxilio selecto. Quia tamen subservit ita illi tractioni; ut liberum sit eligere Deo illam gratiam, vel non eligere, cum qua prævidebatur secuturus eventus, hinc non ideò salvamur, quia pro sua libertate determinavit se homo, etiam cum auxilio gratiæ, sed quia traxit eum & elegit Deus, medio illo auxilio, quòd si voluisset, potuisset non dare, & si non dedisset, non consensisset actu voluntas.

Conceditur Probationi Tertiæ. Deum, ut habetur Ezech. 36. facere ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, ut ait Augustinus lib. de Gratiæ & libero Arbitrio, cap. 18. quòd exequitur, tum ipsa collatione auxiliorum, cum quibus solis, possibile est operari, tum selectivo decreto, & selecto auxilio, quòd est efficacissimum, quo posito, infallibiliter est secuturus eventus, licet id non faciat prædeterminativè. Quòd ipsum auxiliium non supponit nec expectat consensum, sed & pro statu conditionato, & pro statu absoluto eundem causat; & licet dicatur determinari à creatura ad speciem actus, determinatur tamen determinatione posita ex auxilio gratiæ, sive illa sit determinatio transitiva, sive intransitiva, de quo dictum supra, contra Gonet. Decretum Lugdunensis Ecclesiæ non plus vult, quàm quòd ex adiutorio gratiæ proficiatur, quòd homines, *salvati velint & salventur.*

Conceditur confirmationi, quòd voluntates nostræ ita comparentur ad Deum, sicut lutum ad figulum, debetque voluntas nostra efformari & præveniri à Deo in sua efficacia, sicut lutum à figulo, similitudine non in hoc stante, ut determinetur, ad hanc non nisi formam v. g. con-

sensus, sed in hoc, quia sicut lutum ut figuretur, indiget principio altiori figurativo, ita & nos auxiliis gratiæ, & sicut posita aptitudine ad figurari, non est in potestate luti, seligere hanc vel illam formam, ita nec est in potestate voluntatis, cujus prævisi sunt conditionati consensus & dissensus, seligere sibi auxilium, cum quo sit infallibiliter operatura, sed id ad Dei misericordiam spectat. Et sicut principium motus non est in Instrumento, sed in Artifice, ita & Principium motus supernaturalis habetur à gratia, nec debet homo gloriari ex eo, quod rectè operetur, quia ipsum illud operari, est ex gratia, licet non prædeterminante, complente tamen ut possit operari sicut oportet, ex præsupposita prædeterminativa gratia, non illà Thomistica, sed prædeterminativà, per gratias quæ sunt in nobis, sine nobis. Et hanc necessitatem gratiæ, expressit & Arausicanum & S. Thom. 3. cont. gent. cap. 147. & cap. 148. *Causante in nobis Deo nostra opera. secundum modum nostrum, qui est ut voluntarie & non coactè agamus, sed inde non sequitur quòd causet prædeterminativè.*

*Conceditur ultimo argumento, quòd qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, & quòd vera sit Propositio August. de corrept. & gratia, cap. 2. Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant, unde per ly aguntur, significatur, non tantum moralis excitatio, sed etiam significatur influxus coëfficientis gratiæ quæ sunt in nobis sine nobis: sed hæc omnia fieri possunt sine Thomistica prædeterminatione, cui ipsi coëfficienti gratiæ, conceditur motio Physica, quæ Physicè applicet, non quidem prædeterminativè, sed complendo, ut homo possit agere supernaturalia, & selecto auxilio faciendo, ut actu, pro statu absoluto operetur. Hinc verum est, quòd docuit S. Thomas super epist. ad Roman. cap. 8. *Quòd per hoc non excludatur, quin viri spirituales se moveant, per voluntatem & liberum arbitrium, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii, Spiritus Sanctus in eis causat, sed quomodo? Interpretantur Thomistæ, prædeterminativè causat, ut hoc non nisi operetur voluntas, nos autem dicimus, quòd causet oblatione auxilii cooperantis, causet item selecto suo auxilio.**

Quæ mens sancti Augustini in presenti?

Conceditur, Quòd secundum Augustinum, homo non possit divinæ voluntati resistere, si enim seligitur auxilium, cum quo prævidetur infallibiliter consensus Petrus, impossibile est quin consentiat, sed ad hoc non requiritur Prædeterminatio Thomistica.

Conceditur. Docuisse S. Augustinum, quòd Deus in sua Prædestinatione futura facta præsciat, hoc est, quòd & initium salutis, videat Deus esse dependens à Prædestinatione, hoc

est, decreto danda gratiæ: rursus in Prædestinatione præscit futura, quia post prævisos consentus & dissensus nostros conditionatos, seligit pro libertate auxilia, prædestinat ad salutem, in qua prædestinatione & selectione videt futura, hæc ea videre possit etiam in veritate illorum objectiva, de quo vide i. parte disp. 4. num. 107.

*Conceditur, quòd pluribus locis docuerit Augustinus, quòd Deus gratiâ efficaci corda hominum indeclinabiliter, & infallibiliter trahat, sed inde non sequitur debere dari efficaciam prædeterminativam; cum sufficiat dari selectum auxilium, hoc autem ex suppositioe, quòd sit operaturum, impossibile est ut non operetur, quòd solum expressit Augustinus de Prædest. SS. cap. 8. *Selectum enim auxilium a nullo duro corde rejicitur, idè quippe tribuitur, sed cordis duritia primis auferatur.**

Conceditur, Infallibilitatem consensus, reducere Augustinum in divinam Omnipotentiam. Quia ipsa ratio virium, & ratio operativi, esse totum suum, habet, simpliciter ab Omnipotentia, reducit item in supremum dominium, qui ad divinæ est potestatis non nostræ, seligere auxilium, quòd prævidetur eventum habiturum, & hæc selectio, indicatur ab Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 14. Dominatur item Deus, ex lib. de grat. & lib. arbit. cap. 20. volun. tibus hominum, quia nisi ille dederit gratiam, non potest homo assequi beatitudinem, nec salutis initium, dominatur item selectione auxilii, quæ selectione posita, impossibile est non sequi eventum, & licet hæc selectio præsupponat scientiam conditionatam, quia tamen non illa præscientia, sed beneplacitum Dei consentit auxilium, quòd prævidetur eventum habiturum, conferre quæ illud non est in potestate hominis, hinc debet id referri in dominatum Dei, quòd dominatur voluntatibus.

Conceditur, quòd vult Augustinus libro 1. ad Simplic. q. 2. quòd inquam effectus & misericordie Dei, non potest esse in hominis potestate. Nam non est in potestate hominis seligere sibi auxilium, & si illud prævidetur eventum habiturum, non frustra Deus miseretur, cum jam, nec si opponi possit, quòd homo nolit, si prævidetur volunturum.

Conceditur, Facere Deum, ex nolentibus volentes, tum ob collationem auxilii quòd facit, ut cum noluerimus sicut oportet, velim ut sicut oportet, & ratione selecti auxilii, quòd si prævidetur eventum habiturum, ut cum voluerimus, impossibile est ut non velit, idemque habet. August. epist. 107. ad Vitalem lib. 1. con. duas epist. Pelag. cap. 19. & lib. de grat. & lib. arb. unde etiam per nos, quidquid intimum est in nostra voluntate, ex ejus sinu, quia ex ejus consilio & ejus selectione pro statu absoluto nascitur, ita mei

R. P.
THE ML
ZIANOWS
Tom. 1. e
D. V

meritoque supponit Gonet, quod præter motionem moralem in nostris principiis non sit admittenda coefficientia gratiæ, quâ ipse motus voluntatis producatur. Salvâ tamen Auctori Augusti lib. de Spiritu & Lit. c. 31. *Legimus, non est potestas nisi à Deo, non autem legimus, non est voluntas nisi à Deo, & rectè scriptum non est, quia verum non est.* Et tamen per oppositos non est voluntas nisi à Deo, quia non est nisi à prædeterminatione, faciente, ut non nisi velimus.

Conceditur Confirmationi, quòd Deus habeat inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem, quia habet potestatem seligendi auxilii, infallibiliter operaturi, ratione cuius selectionis verificatur quòd voluit Augustinus, l. 2. contra duas ep. Pelag. c. 2. verificatur inquam, quòd Deus cor Assveri, transtulit, ab indignatione ad lenitatem.

Conceditur Confirmationi ampliori, quòd etiam Pelagius admiserit illustrationes, & propositiones objecti, sed non admisit has illustrationes, profectas ab auxilio sicut oportet, agnoscimus nos. Rursus, præter auxilium illustrationis requirimus auxilium supernaturale coefficientis ipsi actum v. g. fidei, qui consequitur ipsam illustrationem.

Quid de mente S. Thomæ?

Conceditur. Quòd S. Thomas & nos cum illo, non reducamus libertatem nostram, in proximam causam v. g. nostram solam voluntatem, sed etiam in Causam Primam, à qua oritur nostra libertas, idque ex pluribus capitibus, nam ipsam potentiam liberam creavit. Rursus. Decretum fecit de indemni servanda libertate. Item aptavit auxilia, quæ non inferant visum ut non nisi hoc, homo operetur. Ex suppositione tamen selectionis auxilii, facit infallibiliter operari. Et hoc significavit S. Thom. 6. Metaph. lect. 3. *Causalitati cuiuslibet alterius cause, subditur solum quòd effectus eius sit, quòd verò sit necessario vel contingenter, dependet ex causa altiori, quam causam altiorem interpretantur Thomistæ prædeterminativam, nos interpretamur offerentem auxilia non necessitantia, & seligentem talia, cum quibus infallibiliter secutura est operatio.* Locus super primo Perihermenias, lect. 14. solum ostendit, & potentiam libertatem, & auxilia non necessitantia, à divina voluntate originari, quæ ipsa auxilia, providentur nobis à Deo, & non à nobismet ipsis, ut docet 1. par. q. 22. ar. 4. Et licet causa prima habeat in se vim causandi libertatem nostrorum actuum, licet item non exspectet, nec supponat effectum, quem non causet, nec præveniat; sed negamus hoc causare, hoc prævenire, esse prædeterminativum. Conceditur ulterius habere in se Deum, vim & principium servandi libertatem, sed adhibitis compossibilibus mediis ejus servandæ.

Negatur autem hoc medium compossibile, esse prædeterminationem.

Conceditur Confirmationi, id quòd docet S. Thom. 1. ad Annibald. dist. 47. q. unica, art. 4. quòd Deus rebus producendis, modum prædeterminavit. Sed hæc prædeterminatio modi agendi, verbo quidem convenit cum prædeterminatione Thomistica, sed non re, hoc enim solum vult, quòd Deus fecerit decretum, de servanda indemni libertate, de dandis auxiliis non necessitantibus &c. Et quamvis prædeterminaverit Deus dictis sensibus modum libertatis, non eam necessitavit: quia cum decreto illo de servanda libertate, cum decreto item de dandis auxiliis non necessitantibus, compossibilis est libertas, imò per illa formatur, sed non prædeterminavit modum libertatis prædeterminatione Thomistica, quia illa ut probatum alibi, incompossibilis est cum libertate. Certè S. Thom. explicans propositionem Damasceni lib. 2. c. 30. dicentis, *omnia quidem præcognoscit Deus, non autem omnia prædeterminat*, ait 1. part. q. 23. ad 1. ar. 1. ad 1. Damascenus, *nominat prædeterminationem impositionem necessitatis.* Si prædeterminatio est impositio necessitatis, quomodo prædeterminat ad modum agendi liberè. Explicans autem quomodo prædeterminatio sit impositio necessitatis, addit, *sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad unum.* Cum ergo prædeterminatio illa quam admittunt Thomistæ sit prædeterminatio ad unum, erit impositio necessitatis, non verò determinatio ad modum agendi liberè.

Conceditur secundum Principium doctrinæ S. Thom. quòd ille, ut conciliet libertatem cum gratia, recurrit ad efficaciam divinæ voluntatis decernentis, non solum substantiam actus, sed etiam modum libertatis, negatur tamen quòd Deus exequatur hoc suum decretum, mediâ prædeterminatione Thomistica, quia hæc incompossibilis cum libertate, sed exequitur illam auxilio selecto, quòd conferre, est adaptare causam contingentem, quòd vult S. Thom. Opus. 2. cap. 140. verificaturque ratione decreti de servanda indemni libertate, ratione decreti de dandis auxiliis non necessitantibus, illud quòd docet Sanctus Thom. *Non igitur propterea effectus voliti eventunt contingenter, quia causa proxima sunt contingentes, sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter eventire, contingentes causas ad eos preparavit.* Certè autem prædeterminatio, non est causa contingens, quia nec indifferens.

Conceditur, quòd Deus non tantum prædestinat & causet substantiam libertatis, sed & modum illius, non quidem prædeterminativè, sed medio auxilio suo, influendo in ipsum modum, & motum libertatis, ex quo etiam sequitur, quòd non mediatè tantum, sed & immediatè proximè, causet nostram libertatem, hinc per

nos, secundum dicta S. Thom. 3. con. gent. c. 89. non tantum in nobis Deus causat virtutem volendi, sed & ipsum velle, quod perficit selectio suo auxilio, coëfficiente illum motum, & hoc est illud, quod interiori exhibet Deus, solusque Deus aptat voluntatem, qui solus potest illam immutare collatione & selectione auxilii. Sed nego quod istius aptare, genuinus sensus sit: prædeterminare, ut vi prædeterminationis, hoc non nisi velit voluntas: & non solum confert gratiam moraliter excitantem, sed confert principium, non quidem prædeterminativum, coëffektivum tamen, sequiturque ut infallibiliter velit & operetur id voluntas, quod vult illam velle & operari Deus. Unde secundum quod vult S. Thom. primâ parte quæst. 105. ar. 4. inclinât Deus in bonum, tanquam primus movens, selectio auxilio, cuius selectio, est propria, primo moventi.

Conceditur reliquis testimoniis S. Thom. quod ut vult q. 6. de malo ar. unico ad 3. quod inquam, *propter naturam voluntatis motæ, que indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed quomodo indifferenter se habet, si ei conjungitur prædeterminatio?*

Conceditur item cum dictis 1. 2dæ q. 112. ar. 3. in Corpore, quod præparatio gratiæ, habeat necessitatem infallibilitatis, sed negatur, quod hæc necessitas infallibilitatis sit prædeterminativa, sed infallibilitatis, ex selectio auxilio oriundæ, quomodo etiam accipienda est doctrina q. 10. ar. 4. ad 3. & doctrina 2. 2dæ q. 24. a. 11. in Corpore & Quodlibet. 12. a. 3. Denique negabitur, quod decretum selectivum auxilii, & ipsum selectum auxilium, non moveant voluntatem immutabiliter, nec inducant necessitatem infallibilitatis ad operandum, licet illa non sit necessitas, ex suppositione antecedenti & prædeterminativa, sed ex suppositione consequenti, & ex infallibilitate oriunda, ex ipsomet auxilio selecto, cuius seligibilitatem, præmonstravit scientia conditionata.

Punctum Difficultatis 2.

An rationibus Theologicis prædeterminativum decretum demonstretur?

Demonstrari tale decretum putat Gonet loco supra citato art. 2. Pensandæ sunt hæc demonstrationes.

OBJICIT 1. Id quod postulamus à Deo, ex ejus gratia beneficioque procedit, non verò ab homine expectatur vel supponitur. Sed oramus Deum pro nostræ voluntatis consensu, determinatione, & mutatione. Ergo talis consensus & determinatio, à decreto divino, & gratia ex illo proficiente causatur, non verò ab illo supponitur aut expectatur.

RESPONDETUR. Si sumatur argumentum

ut sonat, conceditur totum; quia per nos, pro quocunque statu, consensus noster, adeoque & determinatio voluntatis, ita causatur à voluntate, ut simul causetur à gratia Dei. Secundum quod autem supponit argumentum, putans nos orare pro voluntatis nostræ determinatione, hæc prædeterminativo Thomistico decreto, negamus quod sic oremus Deum, & si quis oret, censent nostra principia, illi non exaudiri, quia orat ut liberè operetur, libertate destructa.

Conceditur quod Deum oremus, ut nos immutet, & faciat ex nolentibus volentes, sed nego quod oremus, ut nos faciat prædeterminatos, immutat autem nos Deus, gratiis quæ sunt in nobis sine nobis, & oblatione selecti auxilii, quod facit ex nolentibus supernaturaliter, volentes supernaturaliter, & ex nolentibus absolute, infallibiliter volentes, ratione cuius salvatur id quod petitur in Litaniis de Eucharistia, quod nos commoveat Deus ad participationem illius. Quamquam argumentum ex his Litaniis non tenet, cum non sint ab Ecclesia receptæ. Quomodo Deus rebelles compellat voluntates, & supra, contra Gonet, & 1. part. dictum.

Conceditur, quod hæc orationes non ad hoc solum fundantur, ut Deus nos excitet propositione objecti, licet & hoc oremus, nec ad hoc, ut solum offerat concursum indifferentem, licet & hic sit necessarius, sed quia cum illo nondum sequitur infallibiliter eventus felix, oramus Deum, ut selectum auxilium nobis offerat, quo fit consensus actus, & mutatio voluntatis, sine ulla prædeterminatione, ratione etiam cuius selecti auxilii, impletur id in nobis, quod docet Ang. lib. 4. ad Bonifacium cap. 6. & 9. Et cum teneamus liberum arbitrium, ne quidem adiutivum justificationis esse sibi sufficiens, ideo concedimus quod habet Augustinus c. 18. ad ejus pertinere gratiam, convertere ad fidem, & credimus, non nos ipsos, sed illum, facere quod oremus, dante ipso, ipsum credere, ex cuius auxilio credere proficiscitur, dum jubet ut credamus, secundum quod voluit Augustinus de dono persev. cap. 20.

Conceditur Confirmationi cum Augustino de natura & gratia cap. 18. ubi ait. *Quid sultius quam orare ut facias, quod habes in tua potestate, per nos enim, ne quidem initium justificationis est in nostra potestate, sed in Dei adjutorio.* Negatur autem quod efficacia divini decreti formandi, & gratiæ ex illo promanantis selectio, sit in nostra potestate, sed pendet à libero arbitrio Dei, formante illud decretum, licet illud non formet, non præconsultâ per scientiam conditionatam nostrâ libertate. Nec potest in nostris principiis respondere Deus, quid petitis quod est in vestra potestate, & quod ego à vobis expecto, non enim est in nostra potestate habere Dei auxilium ad operandum necessarium, nec est in nostra potestate decretum selectivum

R. P.
THE ML
ZIANOWS
Tom. de
D. V.